



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

17 Possis ne vti vestibus, & signis propriis infidelium vel hæreticorum, vt
fidem occultes, cum non vrget præceptum fidei confitendæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

idolo, & alias impias preces fundere, sicut & alij infideles faciunt, quod certe absurdissimum est. Quare, non essent condemnandi ab Ecclesia, ut desertores fidei, qui rogati à tyranno diis sacrificabant, debebant enim præsumi ob fidem occultandam vti fuisse illis actionibus alia intentione ab ea, quam petebat tyrannus. Quare, semper Ecclesia gravissimum crimen reputavit illorum qui à magistratibus data pecunia libellum impetrabant, quo ostendebant se idolis sacrificasse, cum tamen non fecerint; eaque de causa *libellatici* dicebantur, de quibus agit latè Baronius anno 253. à num. 20. & Cyprian. *epist. 52. ad Antonin.* Ergo huiusmodi fictio, & dissimulatio nunquam esse potest licita. Supradicta intelligenda sunt de simulatione scilicet facta: nam si loci causa & representationis gratia, ut sit in comædis, hæc dissimulatio fiat, omnes conveniunt esse licitam; quia illa non est protestatio falsæ fidei: sed potius irritio illius, neque est negatio fidei, sed representatio negationis, sic Valent. *illo dub. 4. Sanchez n. 15. Coninch disp. 15. dub. 2. fine.*

4. Argumenta Adriani nullius sunt momenti.

Ad primum ex Hieronymo fatetur illius fuisse sententiæ, ut putaret Apostolos potuisse vti caeremoniis veteris legis, etiam si essent mortiferæ, quia intelligebat Hieron. non esse mortiferas ita absolute, ut non liceret illis vti ad tempus, & ex gravi occasione, ac proinde statim vti nullo modo fuit protestatio falsæ religionis. Adde illo tempore, quo Petrus, & Paulus, atque Apostoli caeremonias legis veteris observarunt, mortiferas non fuisse, etsi fuissent mortuæ, ac proinde licitum illis fuit ex animo colendi Deum ea exercere, ut rectè probat August. *epist. 19. ad Hieron.*

Ad secundum exemplum Naaman dupliciter respondeo. Primum admittendo petivisse Naaman à Propheta licentiam simulandi cultum, cum dominus eius in templo Remmon ingrederetur, & Prophetam permisisset, quia non existimavit vlla perfusione dimoandam esse ab illa voluntate adorandi in templo Remmon adorante suo domino. Secundò respondeo Naaman non petivisse licentiam simulandi adorationem idolo, sed solum genuflectendi, & serviendi domino suo, cum ipse idolum adoravit, quod certe licitum est. Neque obstat petivisse à Propheta, ut deprecaretur dominum pro illo de tali re, quia id dicere potuit ob dubium, quod forte habuit, an tale ministerium sibi illa in occasione liceret: etsi dubio videtur Propheta satisfecisse illis verbis, *Vade in pace*, quasi diceret, nihil est, quod te turbet, rectè potes genuflectere domino tuo, quia pacem, & gratiam cum Deo amittas.

Ad tertium exemplum Iehu, August. *lib. contra mendacium, cap. 2.* & ex illo D. Thom. 2. 2. q. 111. art. 1. censent in illa simulatione peccasse, neque ob id laudatum esse à Deo, sed quia omnes sacerdotibus Baal occidit, & domum Achab funditus evertit. Quod sanè indicant illa verba, *quia studiosè egisti quod rectum erat, &c.* non dixit, quia studiosè locutus fuisti, sed *quia studiosè egisti*, indicans in solo facto interfectionis rectè procedisse, secus in simulata voluntate idololatriæ, quam pro medio assumpt.

Ad quartum exemplum ex David facile respondetur, David ibi non simulasse falsam religionem, sed quandam demeritiam, & stultitiam: neque Christus Dominus simulavit peccatum peccato, sed assumpsit naturam humanam, permittit se peccatorem reputari: quod eius humilitatem summo opere commendat.

Ad quintum & sextum ex ratione petita, concedo totam malitiam huius simulationis reduci ad mendacium perniciosum; nego tamen excusari posse ex intentione proferentis, sicut in aliis materiis distinctis à religione excusatur, Et ratio est, quia simulatio in aliis materiis ex se indifferens est, ut verum, vel falsum significet. Quapropter ex intentione proferentis coarctari potest, & determinari, ut veritatem, quam ipse mente retinet, significet, quod hoc exemplo declaro. Interfecisti Petrum in agro: rogaris an illum interfeceris, negas, subintelligendo, in platea; negatio enim indifferens est, ut supponat pro interfectione facta in agro, & pro interfectione facta in platea: & tu negas solum interfectionem factam in platea, licet audiens decipiatur, existimans nullibi interfectionem esse factam, quam deceptionem non teneris semper vitare: ac simulatio falsæ religionis semper ex se falsum significat; quia neque falsa religio vera esse potest, nec simulatio extrahi potest, à sua significatione, siquidem ad id assumitur. Confirmatio habet specialem difficultatem, qua ratione liceat vti vestibus, & actionibus falsam religionem representantibus, & simul habentibus alium finem de quibus in seqq.

PUNCTVM XVII.

Possis ne vti vestibus, & signis propriis infidelium, vel hæreticorum, ut fidem occultes, cum non vigeat præceptum fidei continentia.

- 1 Distinguantur hæ vestes, & signa.
- 2 Proponitur prima sententia negans licitum esse his signis vti.
- 3 Probabilior est sententia opposita.
- 4 Satisfit oppositis argum. n. 2. adductis.
- 5 Aliqua inferuntur ex superiori doctrina.
- 6 Ex gravi causa aliquibus videtur licitum fideli vti vestibus, & signis infidelium ad falsam religionis professionem.
- 7 Contrarium omnino est tenendum.
- 8 Signo instituto in honore falsæ religionis, nequaquam est probabile illo fidelem vti posse.
- 9 Cibus vti transiens per infideles vti poteris si abique gravi iactura eos non potes respicere, secus contra.
- 10 Opponuntur aliquæ limitationes.
- 11 Licitum tibi est templa hæreticorum ingredi ob cuiusdam obsequij civilis exercitium, secus in signum falsi cultus.
- 12 Per se loquendo licitum est concionibus hæreticorum assistere, si causa urgeat, qualis non est sola curiositas.
- 13 Vti princeps generaliter imperat omnes assistere in cultum falsæ sectæ, ut in Anglia, nequaquam licitum est.
- 14 Non licet Eucharistiam de manu hæretici sumere, neque matrimonium coram illo ex præscripto regis celebrare.
- 15 Cœnæ nuptialibus licet assistere, & contrahentes bene precari.

Loquimur de vestibus, & signis, quæ vel ex usu, & consuetudine, vel ex lege distinguunt homines vnius sectæ ab aliis (nam de vestibus, & signis, quæ non religionem distinguunt, sed nationem, nemini esse potest dubium non esse peccatum contra fidem illis vti.) hæc ergo signa distinguunt homines vnius sectæ ab aliis, sunt in duplici differentia: alia primò, & per se ad hæc distinctionem faciendam instituta sunt, qualiter reputatur Romæ pileus flavi coloris pro Iudeis, fascia, seu tobala pro Tartaris, & Saracenis, imò, ut aliis placet, vestis habens depictam lunam, vel Mahometem. Alia sunt, quæ primò & per se ad profitentiam falsam religionem assumuntur, qualia sunt, vestes, quas Sacerdotes idololorum assumunt ad sacrificium, vel si Princeps ad profitentiam falsam sectam, & cultum exhibendum falsis diis signum aliquod gestare præcipiet.

Prima sententia negat licere aliquo ex his signis vti ad occultandam fidem, sic Caietanus 2. 1. quæst. 3. art. 2. dub. 1. sine Navar. cap. 11. n. 27. vers. 4. Tolet. lib. 4. sum. c. 2. n. 7. Syluest. verb. apostasia, quæst. 1. verb. fides, q. 5. n. 8. & verb. infidelitas, fin. & ibi Angel. Tabien. Atmill. & Caietan. summ. verbo habitus, Philic. de offic. Sacerdot. tom. 1. p. 2. lib. 3. cap. 9. D. Antonin. 2. p. tit. 12. cap. 6. Mouenur, quia gestans vestem institutam ad discernendum infidelem à Catholico, illius gestatione proficitur se infidelem esse; sed professio infidelitatis quæcumque sit, est intrinsicè mala: ergo nulla ratione licet. Secundò illud signum non alia via distinguit infidelem à fideli, nisi quatenus significat illud gestantem infidelem esse; sed qui veller ostendere se infidelem esse, peccat peccato infidelitatis. Ergo etiam qui vult se ostendere distinctum à fideli, peccato infidelitatis peccat. Tertio huiusmodi vestis, & signum, etsi primò institutum non sit ad ostendendam falsam religionem, sed ad distinctionem, & cognitionem personarum illam profitentium, secundariò ad falsam religionem profitentem est institutum ratione supradicta; quia non potest distinguere infidelem à fideli, quin ostendat infidelem esse, sed proficit falsam religionem etiam secundariò est intrinsicè malum. Ergo, Quare, si verbis affirmatis te esse Turcam, vel hæreticum, absque dubio negare fidem iudicaberis, sed id ipsum iis vestibus, & signis affirmas, Ergo, Quintò sequetur, si in vestibus esset depictum idolum Mahometi ad distinguendum Saracenum à fideli, posse Christianum ibi residentem illis vti, ut fidem occultaret; quia figura illa solum ad distinctionem profitentis illam sectam assumitur, non ad specialem honorem, & cultum idolo exhibendum: hoc autem videtur absurdum. Ergo, Quod si dicas eo ipso, quod figura doli gestatur, cedit in ipsius honorem, quem teneris, quasi superstitiosum cultum vitare. Contra, quia solum cedit in honorem ipsius, quatenus significat illud gestantem esse illius veneratorem, & cultorem: sed id ipsum significat quodlibet aliud signum distinguens infidelem à fideli; significat enim illud gestantem esse illius sectæ veneratorem, Ergo, Tandem, quia si à professione falsæ sectæ, & negatione fidei, sperari potest vti talis vestis, pro libito, & absque necessitate, illis vti poterit; quia solum ex hac significatione habent malitiam.

4 Nihilò

Nihilominus dicendum est primo, et si supradicta sententia probabilis sit, probabilis tamen esse, ex gravi causa tibi licere ut vestibus, & signis destinatis ad discernendum infidelem a fidele: sic docent Bannes 2. 2. quest. 3. art. 2. dub. 2. conclus. 3. & ibi Aragon. dub. 1. conclus. 2. expressè Gregorius de Valencia disp. 1. quest. 3. punct. 2. dub. 4. ad finem. Suarez de fide, disput. 14. sect. 5. num. 7. Coainch. disput. 15. dub. 3. conclus. 8. Emanuel Saa verbo fides, numero 4. in viraque editione. Probat (tam sententiam Sanchez, Suarez, & alij primo, quia licet his vestibus, & signis adiuncta sit significatio falsæ religionis, tamen quia per se illam non significant, sed distinctionem infidelium à fidelibus, quæ significatio est reipublice maximè utilis; ideo possunt ad hanc significationem præstandam assumi, ommissa alia significatione falsæ religionis; sicut habitus monachalis non solum ad significandum statum monachalem destinatur, sed etiam ad corporis indumentum, & qui illum assumeret, ut se occultaret; non obinde diceretur statum monachalem profecti. Secundo, quia si harum vestium gestatio esset falsæ fidei profectio; peccarent illi videntes, & inique faceret Princeps cogens ad illarum vestium præstationem: quod non est dicendum, cum Pontifex præcipiat Romæ fideiis pileum suam portare, ut à Catholicis distinguantur. Verum, ut rectè notat Coninch. supra n. 67. hæc argumenta vel minimum probant, vel nihil: nam si primum argumentum aliquid probaret, probaret vix licere vestibus ambiguis, & quæ duplex significationem habent, negare fidem; quantumvis audientes conciperent se fidem negasse, quia potes illa profecti in sensu legitimo; siquidem illum retinere: ac vestibus ambiguis negare fidem omnes Catholicis reputant illicitum. Ergo quod vestes retineant significationem honestam, non probat te illis posse uti, si de facto ille vix reputatur à videntibus negatio fidei. Secundum argumentum minus probat; potest enim Princeps habens sub te diversarum religionum profectores imperare, ut quilibet dicat, quam religionem profectur: an, inquam, sit Christianus, vel Mahometanus, &c. quod mandatum licitum est, & dictum ipsum etiam est licitum; quia Princeps non imperat, ut falsam fidem profectantur, sed ut testentur, quam fidem habeant; sicuti si tibi imperaret, ut testareris de fide locutorum, potes, inquam, absque peccato testari socios tuos esse Mahometanos ex suppositione, quod ita sint: sic similiter testari potest quilibet de se ipso. Quocirca legitima ratio, quod vestibus destinatis ad distinguendos infideles à fidelibus, possis uti, quia fidelis es, ex causa argenti vix, ea est, quia argenti circumstantiis, nullo modo earum vnum testatur te infidelem esse; siquidem quilibet, qui te Christianum cognosceret, & sic vestium videret, non iudicaret te negasse fidem, neque id videri voluisse; sed solum iudicaret te voluisse occultare ob timorem mortis. Ergo illarum vnum nullius falsitatis signum est. Secus est, si vestibus, quantumvis ambiguis, & restrictis, diceret te esse Iudæum, Mahometanum, quia ex illis intelligeret audientes te ob timorem mortis fidem negasse, aut sic apparere voluisse, quia verborum significatio restricta, & limitatio est, quam vestium, & aiotum signorum. Dixi, si legitima causa intercederet illis vestibus vtrius, non esse signum infidelitatis, quia si absque causa feceris, cum tunc nulla ratio legitima addit veritatem occultandi; merito præsumi potest, te negasse fidem, vel voluisse desertorem illius apparere, quod est intrinsecè malum. sic Coninch. illo dub. 3. n. 65. & 71. Suarez de fide, disp. 14. sect. 5. num. 5. Sanchez lib. 1. c. 4. n. 19.

4. Argumenta pro priori sententia ex probatione nostræ conclusionis manent soluta. Decem namque gestationem illius habitus non esse fidei falsæ professionem, sed justificationem se fidem falsam habere, quod in habente fidem falsam ex suppositione, quod illam habet, non est illicitum: in vito autem Catholico, si videntibus, & cognoscentibus illum apparere possit, gestatio occultandi facere, etiam licitum est; hoc tamen nisi causa legitima te occultandi addit, nullo modo apparere potest; quapropter absque gravi causa nullatenus id fieri potest. De veste vtrius quia figura Mahometi, vel idoli depicta esset, alicui videri posset illa Christianum posse uti, quando solum ad discernendum infidelem à fidele esset opposita ob rationem in argumento allatam: ac credo nullo modo licere, quia gestatio illius figuræ per se est quidam cultus, & veneratio idolo facta, quæ semper est illicita: sic docent Sanchez lib. 2. cap. 4. num. 21. & 23. in fine. Suarez disput. 14. de fide, sect. 5. num. 8. Intelligo de gestatione publica, & honoraria; nam si occultè deseres, vel alio modo impedires exterioris cultus apparentiam, liceret sanè, ut in aliis signis diximus, sic Suarez supra.

5. Hinc deducit Sanchez lib. 2. cap. 4. num. 22. & 23. excusari Christianos videntes signis Turcarum in naibus, ne à Turcis comprehendantur, & ipseculatores Christianos, vulgò spias, videntes lingua, & habitu infidelium vbi resident, & pugnant aduersus infideles, videntes eorum vexillis, ut eos facilius possint comprehendere, modo tamen in ipsis vexillis depicta non sit idoli figura. Quia in his omnibus nulla falsæ fidei profectio, etiam quoad apparentiam, fit, sed solum vera fidei occultatio, quæ ex causa iusta licita est: assumunt enim si-

gna de se indifferentia, & consecrat Bonacina dispus. 3. quest. 2. p. 3. num. 27.

6. Sed quid dicendum de signis, & vestibus infidelium institutis non ad discernendum eos à fidelibus, sed ad profectandum, protestandumve eorum falsam religionem, an liceat fidei illis vti ad se occultandum?

Aliqui existimant ex gravi causa licere, sic Sanchez libro 2. cap. 4. n. 20. cum Azor tom. 1. lib. 8. institut. moral. cap. 27. quest. 4. sine reputat probabile Coninch. disp. 15. de fide, dub. 3. numero 72. conclus. 9. Mouentur, quia quantumcumque ad protestandum fidem falsam, cultumque idolo exhibendum instituantur, non perduunt hæ vestes suam naturam significationem regendi, defendendique corpus à temporum inclementiis. Ergo licitum est fidei ob huiusmodi finem illas vestes assumere, relicta alia significatione legali. Addit verò Sanchez num. 21. hoc non esse admittendum in vestibus destinatis ad authoris falsæ sectæ cultum, quales ipse reputat vestes destinatas pro sacrificiis, Sed non videtur satis consequenter dictum: nam etiam in huiusmodi vestibus reperiri potest natia significatio & vix corpori deseruiens, Ergo propter illam assumi poterant.

7. Quocirca existimo, et si propter tot Doctorum autoritatem supradicta sententia probabilis sit, omnino esse tenendum non licere ob viliam causam fidei uti vestibus vti, quia talis gestatio est quidam cultus, & honoratio falsæ sectæ, sicuti diximus, cum figura idoli in vestibus est depicta. Negari enim non potest falsæ sectæ eo maiorem honorem accrescere, quo plures induti appareant vestibus illam protestantibus, qui honor, & superfluitus cultus separati non potest à gestatione, quantumvis contrariam voluntatem fidelis habeat. Adde raris ab scandalo huiusmodi actum excusari posse. Ergo non est admittendus talis vix: & ita tenet Anton. Tabien. Angel. Nauar. Philarcus, Toletus, & alij relati in princip. huius puncti, & Aragon 2. 2. quest. 3. art. 2. dub. 1. conclus. 2. Ludouicus Lopez 1. parte institut. cap. 41. versic. accipiens habitum. Suarez de fide, disput. 14. sect. 5. num. 13. inclinat Coninch. supra numero 73.

8. Aduerto tamen, si Princeps infidelis non solum infidelibus, sed indiscriminatim omnibus habitantibus in suo regno, vel aliquo modo commorantibus præciperet vti veste, vel signo in honorem suæ falsæ sectæ, credo in hoc casu, nullo modo esse probabile, fidelem vti illo signo posse ad se occultandum, esset enim talis vix falsæ fidei protestatio, quia cum ille vix non præcipiatur solis infidelibus, ut à fidelibus appareat distincti, sed præceptus sit fidelibus, & infidelibus in falsæ fidei professionem & honorem: quicumque illo vtitur, merito reputandus est falsam fidem profecti. Quod confirmo hoc exemplo, si enim tibi singulariter Princeps præciperet sub pena mortis ut in cultum, & protestationem suæ falsæ sectæ portares aliquod signum, cui dubium esse potest, te obligatum esse morti prius, quam portare signum ita execrandum, quia gestatione illius signi, voluntati Principis anoueres, & falsam sectam profectis saltem in exteriori apparentia, quod nunquam licet. Ergo similiter dicendum est, cum edicto generali imperaris veste protestatiua falsæ fidei indui: & ita tenet Coninch. disp. 15. de fide, dub. 3. n. 72.

9. Ex dictis deciduntur aliquot difficultates passim occurrentes. Prima, an transiens per loca infidelium, aut hæreticorum, vel ibi residents, possis vti cibis vtrius ob te occultandum? Et quidem si illos cibos respicere potes absque gravi periculo, allegando causam aliquam extra religionem, v. g. debilitatem stomachi, certum est, te obligatum esse lege communi, & auro religionis, id efficere. Quia mendacium vitari potest aliqua restrictione; & causa adest legitima restrictione vitandi, sic Sanchez lib. 2. cap. 4. n. 24. cum Azor lib. 8. institut. moralium, cap. 27. quest. 3. Quocirca dubium solum est, quando cibos vtrius respicere non potes, quin suspitionem generes ob Catholicam religionem respicere: ex qua suspitione merito timere potes graue damnum tibi obuenitum; an, inquam, tunc licitè illis possis vesci? Credo regulariter tibi licere; quia licet peccatum huiusmodi signa aliquo modo distinguantur fideles ab infidelibus; at non sunt signa instituta ad falsæ fidei professionem, & protestationem hæresis. Ergo illis cibis vtrius præsumi non potes negare fidem, aut falsam protestari, sed solum te occultare voluisse, cum non tenearis te manifestare, sic Azor tom. 1. lib. 7. institut. moralium, cap. 29. quest. 7. ad finem, & lib. 8. cap. 27. quest. 3. Sanchez lib. 2. cap. 4. n. 25. Coninch. disp. 15. de fide, dub. 3. conclus. 4. n. 50.

10. Limitanda tamen est hæc doctrina iuxta supradicta, primo, si ex tua commotione scandalum graue sequatur in Catholicis, eo quod videntes te cibis vtrius vti, absque vilo scrupulo, intelligent te à fide secessisse, & hac ratione ipsi ad fidem differendam incitantur sic Sanchez, & Coninch. supra, quod intelligendum est, quando horum periculum vitare non potes, manifestando causam, ob quam tibi licet cibis vtrius in tali occasione vti. Secundo limitanda est doctrina, nisi autoritate publica, vel priuata prouocaris carnes edere in contemptum Ecclesiastici præcepti seu protestationem inobedientie Sedis Apostolicæ, & professionem falsæ sectæ. Nam tunc ipsa commotione

DE
ASTRO
LONIA

mentione præceptum Ecclesiasticum contemnebas, vel saltem adstantibus apparebas contemere, quod intrinsecè malum est, ut rectè colligi potest ex Paulo 1. *Corinth.* 10. ubi postquam dixit idolo immolata comedi, posse id fieri posse, cum aliquis dicit hoc immolatum est idolo, quia tunc illo dicto ad comedendum idolo thymum inuitat in honorem idoli, quod si inuitatus auerit, & comedit, honorem idolo defert, vel saltem reputatur deferre. At deferre honorem idolo saltem in apparentia, nullo modo est licitum; ergo nullo modo licet talibus cibis vesci: sic in præsentia dicendum est, cum in contemptum præcepti Ecclesiastici ad comedendos cibos prohibitos inuitaris.

11 Secunda difficultas est de concionibus, precibus, & aliis signis falsæ religionis. An, inquam, ob vitandam mortem, & bonorum publicationem liceat Catholico, concionibus, & precibus hæreticorum adesse?

Ponendum est tibi licere templa hæreticorum adire, & precibus illorum assistere, quando non ratione falsi cultus, sed cuiusdam obsequii cuius aedes, ut si dominum ibi ingredientem comiseris, vel officium aliud politicum ibi debeas præstare; hic enim ingressus non est formaliter religiosus, sed civilis, & politicus, ac proinde non vitandus, quod exemplo Naaman ministrantis suo domino in templo Remmon satis confirmari potest, qui, cum eius dominus idolum adorabat, ipse genuflectebat; non quidem venerans idolum, sed obsequens domino suo: semper enim cauere debes ne videaris tibi hæreticorum reuerentiam exhibere, aut te illis miscere, sic Sanchez *lib. 2. c. 4. n. 26. in medio.* Pelantius 2. 2. q. 3. art. 2. disp. 1. q. 3. i. notab. 3. Coninch. disp. 1. q. 3. n. 62.

Secundo pono ex se illicitum tibi esse ingredi templa hæreticorum, si cum illis preces fundas, genuflectas, & in cæremenis aliis communices; quia tunc excrius protestatis fidem deserere, vel saltem superstitiosum cultum falsæ sectæ exhibere, quod est intrinsecè malum: secus verò si ea sine vilo signo reuerentiæ spectares, & in his conveniant Doctores, ut videre est apud Sanchez, & Coninch, statim allegandos, & constat ex dictis. Quapropter difficultas solum est, an ingressus in templa hæreticorum ob præstandam obedientiam Regi sub grauius peccatis id præcipienti, licitus sit Catholico, ut has preces euit?

12 Cui difficultati respondeo iuxta supradicta, per se loquendo, licitum esse concionibus, & precibus hæreticorum assistere, sic Azor tom 1. libro 2. capite 27. *quæst. 5.* Valent. 2. 2. disp. 1. *quæst. 2. punct. 2. dub. 4. sine.* Coninch. disp. 1. q. 3. *concl. 5. n. 55.* Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 4. n. 26.* Bonacina disp. 3. *quæst. 2. punct. 3. num. 21.* Ratio est, quia assistentia illa non est falsæ fidei protestatio, cum ex aliis capitibus fieri rectè possit; potest enim ex necessitate fieri ob vitandam grauem iacturam honorum, vel ex zelo fidei, & voluntate deprehendendi errores, qui ibi seminantur, vel tandem ex curiositate. At aduerto cum Sanchez & Coninch *suprà*, totam curiositatem non esse causam legitimam assistendi concionibus & precibus hæreticorum: tum quia vili signis hæreticorum propriis absque graui causa est occasio reputandi illis venientem, vel hæreticum esse, vel talem velle videri. Item semper adest aliquod periculum peruersionis, cui sine causa peccatum est, se committere: requiritur enim causa legitima, hæc enim esset, si timeres grauem iacturam honoris, vel diuitiarum, nisi adires. Conclusio tamen intelligenda est, quando solis hæreticis Princeps præcipiet concionibus accedere, & preces fundere: tunc enim dicimus licere Catholico illam assistentiam, ut se occultare.

13 At si Princeps omnes habitantes in suo regno sine distinctione cogeret templa hæreticorum adire, & illorum concionibus assistere in honorem suæ falsæ religionis, ut de facto in Anglia, aliisque regionibus hæreticis infectis contingit, sine dubio peccabit Catholicus talibus assistens. sic Sanchez, & Coninch. *suprà* qui testantur Paulum V. id motu proprio defuisse Bonacina disp. 3. *quæst. 2. punct. 3. num. 22.* Ratio est manifesta primò, quia illa assistentia in signum, & protestationem falsæ doctrinæ, & in honorem illius impetratur, quod sufficienter colligitur ex tenore edicti dicentis: *Modeste etiam, atque sobrie dum preces persolvantur se gerere, & usque ad finem dictarum precum, & concionum ibi manere teneantur.* Imperatur ergo assistentia modesta, sobria, ac proinde religiosa. Ergo illam exequens falsam doctrinam honorat, & quoad exteriorem apparentiam protestatur. Neque obstat Principem dicere in suo edicto se tantum velle civilem subditorum obedientiam, non à religione apostasiam, nam quantumvis ipse hoc verbis protestetur, facto ipso contractum inuit, cum ipsamet assistentia illis circumstantiis præcepta falsæ sectæ sit protestatio, secundo negari non potest concursu plurium doctrinam falsam honorari, & vites assumere, & in dies esse extendendam, sed hoc creditur grauissimum religionis Christianæ detrimentum. Ergo ob nullam causam licet. Tertio adueniens reputatur hæretici, & à fide defecisse, neque iam est vilius Catholicus, qui eos excuset. Ergo excusari non possunt. Quomodo enim excusari potest actio, ubi est scandalum, superstitiosus cultus, protestatio falsæ sectæ, & illius honor?

14 Ex his à fortiori inferitur, nullo modo licere tibi Eucharistiam sumere à ministro hæretico, matrimonium celebrare coram illo ex præcepto Regis id præcipientis, etiam si ceterò prius coram ministro Catholico contraxisses, quia illa cæremonia testatur se agnoscere ministrum illum tanquam veræ fidei ministrum, cuiusque cæremonia honorat, & in illis communices, quæ omnia intrinsecè mala sunt. sic Malder. 2. 2. q. 3. art. 2. *membr. 3.* Coninch. disp. 1. q. 3. *num. 63.* ubi aduertit secus esse, si coram magistratu civili contraheret, aut coram illo testaretur se contraxisse, modo ritu Catholico antea, vel postea contrahat, quia ibi solum interuenit politicum præceptum obligans, ut publicè constet te matrimonio copulatum esse.

15 Secundo inferitur te posse conuiuiis nuptialibus assistere, & contrahentes bene precari, etiam si ritu hæretico contrahant, quia conuiuium nuptiale licitum quidem est, etiam si contractus, in quo fundatur, illicitus sit. Ergo assistens conuiuii optimè potest intelligi non voluisse contractum, quia talis est, honorare, sed conuiuium, quod subsequitur: sic Malder. & Coninch. *suprà*.

PUNCTVM XVIII.

An liceat tibi omittere signum ex præcepto Regis impositum ad significandum te fidelem esse.

- 1 Explicatur casus & Caietan. negat.
- 2 Contrarium est probabilius.
- 3 Satisfit rationi adducta in fauorem Caietan.

1 **L**ata est lex à Principe, ut quicumque in suo regno fidelis sit, in testimonium, & protestationem suæ religionis tali veste utatur, alias ab omnibus tanquam defensor fidei reputetur, poterit ne Catholicus, si ex portatione illius vestis, & suæ fidei manifestatione periculum imminet, omittere vestem signatam, præcipue cum lex est in vitium obseruata.

Caietan. 2. 2. *quæst. 3. art. 2.* cui consentit Nauar. *sum. cap. 11. num. 27. vers. quind.* negat omittere posse; quia illa ommissio videtur esse vit ualis negatio fidei, siquidem videntes existimant tali signo carentes infideles esse, eo quòd à lege sic reputentur. Item assignatio illius vestis, est quedam de fide interrogatio & examinatio, examinat enim Princeps illius vestis portatione, quinam sint fideles: si igitur verbis examinatus es, ut si diceret Princeps, manifesta nobis, quam nam idem habebas, & si signum te negare fidem, silentium, siquidem te in tali occasione facti, sit confessio: cui dubium esse potest te in tali occasione constitutum obligatum esse confiteri, alias silentium tuum argumentum esset te negasse fidem, vel saltem voluisse videri negauisse. Cum ergo per legem idem examen Princeps intendat facere, & omissionem illius vestis constituat in signum infidelitatis, si vestem omittis, infidelis vis esse, vel saltem videri talis. Ergo nullo modo tibi licet.

2 Nihilominus contraria sententia communior, & probabilior est, scilicet te posse ex graui causa omittere signum à lege constitutum pro fidei Christianæ professione, sic docuit Bantes 2. 2. *quæst. 3. art. 2. dub. 2. concl. 4.* Aragon *ibi, dub. ult.* Valent. disp. 1. *quæst. 3. punct. 2. dub. vltim.* Suarez *de fide, disp. 14. sect. 4. n. 10.* Coninch. disp. 1. q. 3. *num. 76.* Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 4. sine. num. 29.* Ratio est, quia illa ommissio non est negatio fidei, etiam quoad apparentiam, sed solum occultatio, quæ ex causa iusta licita est. Ergo. Antecedens probo: tum à simili ex habitu monachali ab Ecclesia signato pro religiosis, quem si quis ex vitigeni causa exuat, non obinde reputatur negasse monachalem professionem, sed solum illam voluisse occultare. Tum ratione, quia ut ommissio illius vestis reputaretur fidei negatio, debebat nullam aliam spectatis illis circumstantiis significationem habere, ut sic videntes; & cognoscentes illum esse Christianum, & omissionem fecisse illius signi, intelligerent à fide defecisse: atqui habet hanc legitimam significationem, scilicet occultare personam. Ergo. Item neque obligaris ferre illam negatio, quæ ex lege Principis obligari non potes: tum quia lex illa non est iusta, utpote lata in odium Dei, & de materia ad Principem seculararem non pertinentem examen enim fidei, & illius professio Ecclesiastico Principi, non publico, attributa est: & dato quod lex illa iusta esset, cum sit humana, & publica, non te obligat cum grauissimo tuo detrimento: ergo ex ratione legis obligari non potes. Ex præcepto autem fidei cessat similiter obligatio: quia præceptum positum consistendi fidem non obligat, ut clarum est in illa occasione, quia nec subtrahitur omissione illius honor diuinus grauius, neque scandalum generatur. Neque etiam præceptum negatum non negandi fidem; quia hoc præceptum obligat, ne assumas aliquod signum protestatarum negationis fidei: at ut tale signum non assumis, sed potius relinquis signum fidei protestatarum. Ergo solum potest ex illo inferri te non protestari fidem, non tamen illam negare.

Dices,